CHRISTOPHORI COLERI
ET
MARCI HIERONYMI VIDAE
HYMNI
PACIS.

AD SENATVM POPVLVMQ.
BREGENSEM.

BREGAE.

Typis Gründerianis.
A. C. cIↃ IↃC XXXIV.

352912

ANCORA, JNSIGNIA BREGÆ.

PArva, tot armorum diris agitata procellis,
Naufraga cur dubio vortice BREGA *gemis?*
En confide: ratem rerum gemina ANCORA *firmat:*
Princeps una tuus, SACRA *sed ipse* DEUS.
Ne minor occumbat, virtute valentior obstat.
Consilium illa tibi, sed SACRA *præstat opem.*

v. Rhedigersche Stadt-Bibliothek zu Breslau.
BIBL. WROCLAW.

Amplissimo Prudentissimoq;
SENATVI POPVLOQ.
BREGENSI

CHRISTOPHORUS COLERUS.

QUicunq; olim aut hodiè Virorúm Principum & Civitatum SYMBOLIS aut INSIGNIBUS ANCORÆ usi-sunt, diversâ quidem omnes, sed prudenti sanè singulos ratione feciſſe, arbitror. Etenim Seleucus Syriæ Rex, annulum signatorium, cui Emblema hoc inciſum erat, à matre sibi Apollinis iuſſu in somnis dono datum gestans, sed posteà singulari fati diſpoſitione amittendum, pignus potiundi Imperij interpretabatur: Cujus etiam portenti paulò poſt fidem eventus fecit; dum ille Regni Candidatus, eam Orientis partem circa Babylonem, ubi repererat annulum, divinâ sorte obtineret. *Titus* verò *Veſpaſianus*, amor et delicium illud generis humani *Delphicum Ancoræ circumvolutum* symbolum uſurpans indigitavit, lentè deliberata maturè eſſe exſequenda. Nec paucis hodiè claſſi præfectis, quos vulgò *Amiralos* appellant, illud ipſum Scitum arriſit, quo tanquam evidenti signo fidem & conſtantiam provinciæ navalis teſtari voluerunt. Quamobrem, AMPLISSIMI PRUDENTISSIMIQ. VIRI, sanctiſſimos Majores veſtros, delectis Civitati suæ memorabilibus his ANCORÆ INSIGNIBUS, Vobis, omniq; ſucceſſuræ poſteritati fortiter aſſerendis, altè sapuiſſe cenſeo. Namhaud dubiè cordati illi Patres,

longo rerum administratarum usu edocti, Reipublicæ gubernandæ rationem navigationi similimamesse, statuerunt. Observarunt sanè onus esse longè Majoris molis, quàm privati, aut imperiti opinarentur, modò rectâ, modò obliquâ velificatione, cautè in tempestuoso variorum motuum æstu uti, ne ventis licentiæ ludibrium deberent. Accuratè etiam cognoverunt, quàm variis virtutibus opus esset, quibus ratis illa publica tanquam firmissimis *Ancoris* solidè stabiliretur, quàm multâ arte & circumspectione dirigenda, ut veluti gubernaculis aut clavis fixa niteretur. Quemadmodum autem navis duabus potissimùm ancoris immobilis sedet: ita Tu etiam Brega, à decumanis hactenus civilis belli fluctibus jactata, ac tantum non naufragio absorpta, adhuc immota pendes à Deo Maximo & Principe Tvo Optimo. Illc enim est verè *sacra ancora*, quæ nunquam te confisam virtuti suæ, fefellit, tuæ imminentis ruinæ ictum unicè sistet. Aureum est poëtæ monitum:

Ne tempestatum vis auferat: ancora sacra,
Quo mentem figas, est jacienda tibi.

Alterius ancoræ, hoc est publici Parentis tui, innocentia, recta voluntas, à se non eventu æstimanda, atq; bona conscientia, quam D. Chrysostomus *Sacram Ancoram* ex vero appellat, firmitudo & constantiæ robur, multum solatii esse potest, ne nimiùm fluctues Sed sicut nautæ post tot fluctuationes & jactationes ex animo exultant,

quan-

— — — quando ex alto procul
Terram conspiciunt:

Jta etiam omnes salutis publicæ amantes, compositis tandem potentum bellis, ad benignum Pacis aspectum, lætaturos esse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Quocirca duo isti Hymni Pacis, alter ex meo ingenio natus, alter Marci Hieronymi Vidæ, pii Antistitis & poetæ inter Jtalos avorum memoriâ celebris, honorificum & splendidum sibi nomen vestrum præscribunt, *Eminentes & optimi viri:* argumenti potissimùm fiduciâ: quippe *Divæ* illi, rei hactenus vobis desideratissimæ, scripti sunt. Quibus enim, devolutâ in vestrum districtum, intra mœnia, & sinum, belli sede, post tot jactationes, insolentes militum prædationes, opum eversiones, agrorum vastationes, civium exactiones, quam Bregensibus, laudatio, Optimi inter mortales Boni, gratior futura est? Quāquam & aliæ causæ tam publicè quam privatim mihi sint, ut nulli meliùs, hosce proprios & adoptivos partûs, quam vobis, consecrem. Non enim desultoriè & obiter laudandæ forent excellentes virtutes vestræ: assidua circa sacra & profana cura, justicia & moderatio, bonæ pacis artes, consilii maturitas, amor honorq; ingeniorum & literarum, quibus vos, tam domi Principi vestro, dexterrimo virtutum arbitro, civibusq; vestri imitatoribus, quam foris aliis etiam civitatibus, approbatis. Jnprimis verò his conclamatis temporibus, & tantum non naufragio omnium rerum, invictam ani-

mi virtutem ostenditis. Sicut nequaquam par gubernanatoris ars apparet, quum placido, & fluctuante mari vehitur: ita nec rectorum reip. eadem quieto & turbato Pacis statu emicat. Quietâ enim navigatione inglorius subit portum: sed stridentibus funibus, curvato malo, gubernaculis gementibus, laudatur & clarus habetur navis rector; ita magistratus rebus pacatis, facili negotio cives pænis & præmiis in officio retinet: sed si turbulentis inter deforme obsequium & abruptam Contumaciam medium iter pergere nôrit, tum demùm se verè virum edocet. Vnde cives proposito sibi summatûm exemplo, pietatis studio, obsequio erga Magistratum, amore mutuo & concordiâ, sedulâ rei familiaris curâ, rectâ liberorum educatione, humanitate ergà peregrinos, pulchrè ornati, argumento satis sunt, talem esse hanc Civitatem, quales sunt primorum mores. Cæterùm vobis, *Viri honoratissimi*, in publicâ allocutione privatim obstrictus, gratias palam ago, quòd me, iam per triennium, & quod excurrit, ingruente ab Arctoo cælo nubeculâ, in vestrum sinum, tanquam nidulum bonæ mentis, receptum, amore & benevolentiâ prosecuti sitis, atq; adhuc benignè prosequamini. Non enim nescio multos vestrûm mihi studiisq; meis bene consultum velle, adeòq; poëmata mea Juvenilia aliquo precio æstimare, ut planè confidam, hos HYMNOS PACIS, rei nimirum omnium rarissimæ, vestris auribus perpolitis, fore iucundiores. DEVM æternum, *Sacram* illam *Ancoram*, à qûa unicè civitatis vestræ salus pendet, supplex oro & obsecro, ut pro paternâ quâ vos hactenus amplexus est, benignitate, patientiam & constantiam in ferendis adversitatibus, consilia in rebus dubiis expedita, clementer vobis suggerat, in commune consulendi, ne quid respublica detrimenti capiat. Deniq; faxit ille, DEVS pacificus, sator & stator pacis, ut brevi eam, cum vbertate omnium rerum comite, florentem, fidam, securam, & tanto sangvinis precio dignam, Ecclesiæ & Reip: bono redemptam, atq; seræ Posteritati fruendam, Germania, Silesia, & patria vestra lætitia aspiciat oculis. In Vrbe Vestrâ. NON. FEBR.

A. C. N. clↄ lↄc XXXIV.

CHRISTOPHORI COLERI HYMNVS PACIS.

DIVA, supremi soboles Tonantis,
Dulcis humani generis voluptas,
Docta Germanas habitare quondam
Foenore terras;
Cujus à lustris tribus, & quod ultra est,
Nomen haud felix Alemannus audit,
Et salutaris numerosa frugis
Munera nescit:
Mille te desideriis cupiscit,
Et piâ Numen prece mens fatigat,
Civium diro modus ut furori
Fiat, & iræ.
Teutones prisco côeant amore
Et fide, juncti côeant amici,
Æqua funestis reparare bellis
Fœdera pacis,

Sive

Sive quos nondum dociles jugari,
Ireſſa libertas, ſacra cum profanâ;
Sive quos hoſtis metus incubantis
Movit ad arma.
Sive quos rerum ſaties priorum,
Et calens cœcos ſtudium novarum:
Sive quos regni ſitis, aut habendi,
Egit in hoſtem.
Sive fortunæ nimium liquore
Ebrios ferro vetat abſtinere,
Impotens rerum regimen, ſuiq; ef-
frena libido.
Teutoni quos non madefecit imber
Sanguinis campos? fluviosq; quos non
Decoloravit? caret ora noſtro
Nulla cruore.
Militi non eſt pietas fidesq;;
Væneunt legum ſacra, fas, bonumq;,
Quod lubet, cuivis licet, inſtar æqui eſt
Summa poteſtas.
Ni viri ponant odia optimates,
Nec furor fervens tepeat, paretq;
Arma ſi victus, teneatq; victor:
Bella perennant.
Deſitus ſqualore ager obſoleſcet,
Subditâ tectis face tot ſepultas
Obruet gentes cinis, urbiumq;
Corpora vaſta.
Sponte diffingant utinam ſuapte
Gentium ferrum domini retuſum
In Scythas, noſtræ ſonitu ruinæ
Strageq; latos!

Diva ades vernis redimita olivæ
Frondibus, belli melior ſuperbis
Laureis centum, potiorq; partis
Mille triumphis!
Redde Germanis fidei perenne
Vinculum, ruri ſegetes & uvas,
Vrbibus cives, ſtudiis juventam
Pallados acrem.
Quàm tuo vultum reditu ſerenant
Cuncta! cum brutis homines renaſci,
Ipſa lætari ſimul arva, & urbis
Tecta videntur.
Ad jugum tauri venient, & uber
Vomerem tellus, capietq; ſemen,
Ac virum conjux capra, comparemq;
Bucula quæret.
Vitis, electi generoſa vini
Mater, inſignes pariet racemos,
Fundet autumni bona larga pleno
Copia cornu.
Tunc amor recti, ſtudiumq; honeſti,
Et pudor, digni meritis honores,
Et cohors neglecta diu redibit,
Te duce, morum.
Te vocat gemmis locuples & auro,
Anxiâ ruris prece te colonus
Ambit, & junctim pueri ſenesq;
Rite precantur.
Hoc Patres natis, præeuntq; matres
Filiis, cantant juvenes nurusq;:
Non Salvs Bello, Bona Pacis Alma
Poscimvs Omnes.

M. HIERONYMI VIDÆ HYMNVS PACIS.

PAX ALMA, dulce ubiq; nomen gentibus
Inter DEOS pulcherrima
Pucherrimos, quàm me tui expectatio
Torquet morantis ah nimis!
Tuumné Diva vivus adventum ampliùs,
Tempus videbóne aureum?
Vnquamné erit, mundum his tenebris obsitum
Tuo ut serenes lumine?
Quando appetentem me DEA spe id irritâ
Tanto beabis munere?
Vereor, laboriosa ne longè prius
Vincat senectus langvidum,
Quàm rursus vrbes divites conviviis
Ludisq; distinerier,
Quàm rura videam cantibus lætissimis
Omni sonare ab angulo.
Vnisq; ventorum duellis æquora
Metuenda, non Martis dolis.
Vt omne telum pereat, ut Chalybum genus
Haud nominetur ampliùs.
Vt regum avarities, & ambitio impotens
Sepulta sit sub æquore.
Absente te, vix uberes alunt agri
Nunquam colonum desidem:
Præsente verò, nuda saxa qui colit,
Vel dormiens bonis fluit.
Tu grata Musis, tu in foro versantibus
Places, & urbi præsides.

CHRI-

CHRISTOPHORI COLERI
Verteutschter Lobgesang Des Friedes.

O Fried/ O milder Fried/ Ach süsse klingt dein Name/
Durch aller Welt geschlecht/ ô schönster dinge Same
Bey aller Götter Schaar! Ich trage groß verlangen/
Daß du nicht schier ein mal kommst wieder hergegangen!
Mag ich dich/ **Erden Gott**/ nicht wieder sehen ziehen
Zu vnsern Thoren ein/ vnd güldne Zeiten blühen?
Wirds je geschehen auch/ das du mit deinen stralen
Die diechte finstre nacht wirst wieder liechte malen?
Wann wirstu **Milder Gott**/ nach sehnlichem begehren/
Da keine Hofnung ist/ deß Kleinods mich gewehren?
Ich fürchte leyder sehr/ das ich darf eher grawen/
Vnd werden Alt vnd schwach/ als das ich werde schawen/
Die reiche Bürgerschafft/ mit lieben Gastereyen/
Vnd Kurtzweil allerhand sich wiederumb erfrewen/
Das auch daß Land-Volck wird zu Felde lieblich singen/
Vnd jhren Alten Thon bey lobetäntzen klingen.
Das einig vnd allein das Meer sich müße schewen
Vor einer Windes Braut/ nicht vor des Martis dräwen.
Das alle kriegeswehr der rost nur möge fressen/
Vnd alles Eisenwerck zu schmieden sey vergeßen/
Das großer Herren sucht vnd ehrgeitz mehr zu haben/
Der vnersättlich ist/ im meere sey vergraben.
Wann du abwesend bist/ kein fettes Feld kan geben
Dem Bawren/ ob er schon ist mühsam/ satt zu leben.
Wo du bist/ manchem mus im schlaffe gnung zu flitzen/
Wer steinicht Erdreich bawt/ hat gnüglich zugenißen.
Du bist den Musen lieb/ zu dir sich auch gesellen/
Die vor Gerichte gehn/ vnd Regiment bestellen.

Tu merce transmarinâ opes parantibus
Voto invocaris publico.
Te divites, te ubiq; pauperum greges
Laborioſi prædicant.
Tibi viri, tibi pudicæ mulieres
Prægeſtientes ſupplicant.
Tui ſenes, tui pueri amantiſſimi,
Tui omnis ætas appetens.
Tu, ſi quid eſt mortalibus boni uspiam,
Id una nobis comparas.
Tu ſanitatem gentibus, ſacraq; & opes,
Et victum, & annonam, & merum,
Securitatem, literas & otium,
Et nuptias, & liberos,
Vitamq; tandem affers amica cantibus,
Adverſa verò luctibus.
Tui ſimul Mars hauſerit pedis ſonum
Faceſſet hinc celerrimus.
Simul quieſcent furta, cædes, vulnera,
Strages, ruinæ, incendia,
Tot orbitates liberorum, tot ſtupra,
Crebriq; raptûs virginum.
Nec audietur ampliùs clangor tubæ
Viros cientis ad necem,
Iuvenemq; vellentis tenellæ ab conjugis
Gremio, metu inſperſum genas.
Quæ pluraq; viri ſi viderent principes,
Cum bella initio cogitant:
Vel abſtinerent, vel quibusvis ponerent
Mox cæpta conditionibus,
Neq; eos libido, neq; adeò ageret gloria,
Vt perderent cæci omnia.

Dich

Dich wünſchen in gemein die auff dem Schieffe fahren/
Vnd ferren über Meer herbringen thewre wahren.
Daß Mühſam arme Volck/ ſampt groſſer ſchaar der reichen
Dein wehrtes Ehren Lob herauſſer ſtattlich ſtreichen.
Die junge Mannſchafft pflegt dir Ehre zu erzeigen/
Vor dir die Frawen ſich ſehr ehrerbietig neigen.
Der kleinen Kinder Heer / die Alten ſchwachen Greiſſen/
Vnd jedes Alters Volck vmb deine gunſt ſich reiſſen.
Dir/ wo bey Menſchen ſein zu finden reiche Gaben/
Sonſt keinem andern nicht / wir ſie zu dancken haben.
Du bringeſt mit dir her/ geſundheit/ reinen Glauben/
Geld/ vnterhaltung/ Korn/ vnd zuwachs reicher trauben/
Die ſtillgewünſchte ruh/ die muſſe/ kunſt vnd lehren/
Ein Liebes Weib vnd Kind/ deß Hauſes Früchr' vnd Ehren
Du bringeſt endlich auch mit dir ein frölich leben/
Vnd läſt in keiner angſt vnd trawrigkeit vns ſchweben.
So bald der Mars vernimpt/ das du eylſt an zu ziehen/
So mus er eilends fort an ander Oerter fliehen.
Es höret gleichfalls auff/ raub/ plündern/ Land-verheeren
Mord / feldſchlacht/ äſcherung/ der Brand/ vnd Stadt-verzehren/
Viel Wittwen/ Wäyſelein/ viel vnzucht/ ſpott vnd ſchande
Vnd vieler Jungfrawen entführung aus dem Lande.
Man darff nicht hören mehr das blaſen der Trompeten/
Die manchen Rittersman zur Schlachtbanck führt zu tödten /
Reiſt einen jungen Wirth auß ſeiner liebſten Armen/
Der voller furchte ſteht/ vnd wolte gern erwarmen.
Wann dieß vnd anders mehr die großen Herrn vnd Fürſten
Bedächten anfangs wol/ die ſo nach kriegen dürſten /
Sie lieſſen ſolche nach/ vnd wo ſie die anfiengen/
Doch mehr auff Güttigkeit vnd auff verträge giengen/
Sie würden nicht ſo ſehr nach macht vnd ehre jagen /
Noch Land vnd Leute Blind hin in die Schantze ſchlagen.

Istis si ego ab malis procul tandem absiem
Tranquillitati redditus.
Videamq; pendentes acervos arduis
Scutorum ubiq; postibus,
Araneorum fila quos obduxerint,
Nigros vetusto in pulvere.
Ensesq; rursus, ferreasq; cuspides
In vomerem conflarier,
Vitam haud recusem pauperem traducere,
Fodiens agrum incurvus manu.
Saltem animus ablatis mihi his terroribus
Quiesceret liberrimus.
Possem laborem versibus solarier,
Cinctus oleâ canum caput.
Et nocte pauculos revolverem libros,
Vel, imbre detentus, die.
O DIVA, largitrix bonorum una omnium,
Quo te vocabo nomine?
Quibus te honestis efferam præconiis?
Dignum unde te verbum exprimam?
Opulenta salve, jam recurre huc aurea,
Et nos tuo vultu bea.

Wann ich nun würde frey von allem Kriegeswesen /
Vnd der gewünschten ruh vnd friedeslust genesen /
vnd sehe häuffig dort an wänden/thür/vnd pfosten /
Die Waffen/Helm/vnd Schild gehencket sehr verrosten /
Das mit dem dünnen garn die spinnen überweben/
Daroben dicker staub von langer Zeit bleibt kleben.
Das wiederumb ein spies vnd wolgeschärffter Degen/
Verschmiedet werden mag zum pflugschaar vnd zur egen:
Ich wolte dergestalt die armut gerne haben/
Vnd selbst mit eigner Hand mein stücklein Acker graben.
Wann mein gemütte nur sey ausser fürcht gesetzet/
An seiner stillen ruh vnd freyheit sich ergetzet.
Ich könte sawren Schweis vnd arbeit mir durchwürtzen/
Vnd vmb mein Häupt bekrönt mit verßen zeit verkürtzen.
Ich könte bey der Nacht in Büchern wol Studiren /
Vnd wann es regnet tags mich gleichfals erlustiren.
O Gott/weil dann von dir die Gaben alle fließen/
Mit was vor titul sol ich dich ehrbittlich grüßen?
Wie werd' ich doch dein Lob nach würden mögen singen?
Woher sol ich dir nur der worte Zierat bringen?
Gegrüsset seystu Fried/komm Fried auß lauter Golde/
Beselig' endlich vns mit deines anblicks holde.

BIBL. UNIW. WROCŁAW